



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare caro Christi non dicta est peccatrix, sed similis. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

non tamen inde descendit secundum legem communem, sc. per carnalem libidinem, sicut etiam in Adam omnes peccauerunt, sed non Christus. *Ad Rom. 5. c. l. 10. c. 19. in fine, com. 2.*
 Unde August. super Genes. Sicut in Adam peccante, qui in lumbis eius erant peccauerunt: sic Abraham dante decimas, qui in lumbis eius erant, decimati sunt. Sed hoc sequitur in Christo, licet in lumbis Adæ & Abraham fuerit: quia non secundum concupiscentiam carnis inde descendit. Cum ergo Leui & Christus secundum carnem essent in lumbis Abraham, quando decimatus est, ideo pariter decimati non sunt, quia secundum aliquem modum non erat ibi Christus, quo erat ibi Leui. Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Leui, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem: secundum quam rationem non erat ibi Christi caro, quamuis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Ille ergo decimatus est in Abraham, qui sic fuit in lumbis Abraham, sicut ille fuit in lumbis patris sui: id est, qui sic est natus de patre Abraham, sicut ille de patre suo natus est, sc. per legem carnis, & inuisibilem concupiscentiam.

Ibid. c. 20. ad princip. Ibid paulo inferius.

Qua ratione caro Christi dicta est in scriptura non fuisse peccatrix, sed similis: quo aperitur quare obligata peccato non fuit in Christo. **D**

Quocirca primitiam nostræ massæ rectè assumpsisse dicitur Christus: quia non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati accepit. Misit enim Deus filium suum (ut ait Apostolus) in similitudinem carnis peccati. Assumpsit. n. verbum *Ad Rom. 8. a.*
 carnem peccatrici similē in pœna, & non in culpa, & ideo non peccatricem. Cætera vero hominum omnis caro peccati est. Sola illius nō est caro peccati: quia non eum mater concupiscentia, sed gratia cōcepit: habet tamē similitudinē carnis peccati per passibilitatē & mortalitatē, quæ esurit, sitit, & huiusmodi. Licet ergo eadē caro sit eius quæ & nostra,

*Matth. 4. a.
Ion. 19. f.*

stra, non tamen ita facta est in utero sicut nostra. Est enim sanctificata in utero, & nata sine peccato, & nec ipse in illa unquam peccauit. In poena ergo similis est nostræ, nō in qualitate peccati: quia pollutionem quæ ex concupiscentiæ motu concepta est, omnino nō habuit, nec ex carnali delectatione nata est. Venit ergo ad corpus immaculatū, quod præter libidinis concupiscentiam fuit conceptū: nec illud in se habuit vitiū, & in aliis est causa peccati, nec in eo peccauit. Ideoq; vere dicitur **verbi caro non fuisse in Christo obligata peccato.** *Quidam videntur aduersari illi sententiæ, qua dictum est, carnem Christi non prius conceptam quam assumptam.*

*In 10. 9. ex
tract. 10. ad
finem.
Iean. 1. d*

Illi autem sententiæ qua supra diximus, carnē verbi nō ante fuisse cōceptam quam assumptam, videtur obuiare quod Augustinus ait super Ioannem ubi legitur, **Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.** Dixerunt ergo Iudæi, **Quadraginta & sex annis edificatum est hoc templum, & tu tribus diebus excitabis illud?** Hic, inquit, numerus perfectioni dominici corporis cōuenit: quia ut dicunt phisici, tot diebus forma humani corporis perficitur. Horum occasione verborum quidam dicere præsumpserūt, dominici corporis formam tot diebus ad modum aliorum corporum perfectam, & mēbrorum lineamētis distinctā, & mox verbum dicitur sibi vuisse carnem & animam, & hoc modo dicunt illū numerū perfectioni corporis cōuenire. Sed alia ratio illi⁹ dicti exitit, ex qua sana oritur intelligētia verbi. Nō enim ideo illud dixit August: quia mox ut caro illa opere sp. S. sanctificata & à reliqua separata fuit, verbo Dei cū anima vniretur, ut perfectus & verus Deus esset, perfectus & verus homo: sed quia mēbrorum illi⁹ dominici corporis distinctio in ipso momento cōceptionis & vnionis Dei & hominis a deo tenuis erat & par-

rat & p
b⁹ a. i
tabilis
Dama
cessit:
cunfor
tur: &
sa car
omnib
sanctē
nation
QVA
buati

CVM
bus
lii & sp
videtu
pus s
prus &
tio inca
quod e
quia sp
& filii
ctum e
uit for
tio sp. S
sed pot
fit sepè
mouen
determ
turam
solam p
(neq; en